

ternis vicibus Breuiarium Scripturae Synchronisticum, seu Chronicon Biblicum, & Hortulum Biblicum, proposuit. Disputationes etiam instituit Theologico-publicas haud paucas, in Aphorismos praesertim Hortuli sui Biblici, qui ipsi nude & sine adiectis testimoniis transcripti sunt, typis denuo in pl. pat. impressi & distributi; estque memorabilis, memorabili Anno 1630. habita, & in Albo Gymnasii his descripta verbis: Post celebratum per triduum Iubilaeum Evangelicum, Disputationem ex Loco de Persona & Officio Christi habuit Reu. & Clarissimus Dn. Superintendens.

Et extat tandem in Matricula ad A. 1634., quod d. 3. Ian. Rector Gymnasii, M. Andreas Reyberus, Oratione funebri parentauerit Viro admodum Reuerendo & Clarissimo, Dn. M. VVolfgango Sebero, Superintendenti emerito; quae vero Parentatio Scholastica typis, quod sciam, exscripta non est, neque sane, Concionem funebrem, haud dubie a D. Samuele Zehnero habitam, foras produsse, comperi.

V.

SAMVEL ZEHNERVS.

SAMVEL ZEHNERVS, τῆ παύου Ioachimi, paulo ante recensiti, Filius, S. Theologiae Doctor, Schleusingae Pastor & Superintendens, Consistorii Hennebergici Assessor, Gymnasiique Schleusingensis Professor & Ephorus, natus fuit Suhlae d. 4. Mai. A. 1594., e Gymnasio Hennebergico A. 1612. in Academiam Lipsiensem, ex hac in VVittebergensem, Ienensem, Marpurgensem & Gissensem se contulit, & in singulis, Gissensi cum primis, publice & priuatim disputando multam

B 3

pro